IN OBITV
ILLVSTRISSIMI COM.
FRANCISCI ALTERII
PATRITII ROMANI
ECCLESIASTICORVM ARMORVM

Anconæ, Bononiæ, & in vtraq; Marchia, &c. pro Summo Pontifice Gubernatoris:

Campiductoris, & Generalis in acie Militarium ordinum Directoris.

ORATIO FVNEBRIS

Habita in Templo PP. Societ. Ieſu à P. CAMILLO RODENGO eiuſdem Societatis Sacerdote

Bonon. die 10. *Maij Anno* 1644.

Inter ſolemnes exequias præſente corpore celebratas.

BONONIÆ, Typis Hæredis Victorij Benatij. MDCXLIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO CARDINALI BARBERINO

BONONIÆ, FERRARIÆ, ÆMILIÆ, ETC.

à Latere Legato.

PHILIPPVS VENTVRIVS VRBINAS I.V.D. & Caſtrorum Auditor F.

L*Audatio funebris inter ſolemnes Illuſtriſsimi Com. FRANCISCI ALTERII exequias habita, licèt intra vnius diei anguſtias feſtinanti calamo deproperata, tamen vel Argumenti dignitate, vel erga defunctum Heroem publica omnium beneuolentia, vel etiam ipſa gratia celeritatis, tam pronis Audientium auribus excepta eſt, vt ſuum & oculis deſiderium reliquerit illam curioſius contemplandi. Ea*

ſanè mens fuerat Auctori ſuo, poſt extemporaneum vocis tributum, & ipſam paginam ardentibus circa buſtum applicitam facibus adolere. Verum, ne antea Defuncti Effigies, quam ipſum Defuncti corpus, iret in cineres, tuo interpoſito nomine, EMINENTISSIME PRINCEPS, extorta nolenti eſt, & prœli beneficio, qualis audita, ne verbò quidem mutato, talis legentium ſubiecta luminibus, ad publica ſecuritatis Aſylum ſua ſtatim ſponte ſe recipit, iſtam videlicet Eminentiſsimam Purpuram, quæ ſi viuentem texit Alterium, ſi fleuit morientem, eiuſdem demortui adumbratam calamo imaginem fouebit ſinu, & illo velut clypeo tectam ab inuidiæ ſpiculis vindicabit. Vale.

ORA-

TV quoque, FRANCISCE ALTERI, ſuprema Paci Victima debebaris? Neq; poterant rediuiua nuper coaleſcere fœdera, niſi tuo funere ſancirentur? Neq; emori penitus hoc bellici furoris incendium, niſi in tuis expiraret cineribus, nec mortuus reprimi Martis furor, niſi vno, & eodem tecum Sepulcri lapide premeretur? Hei mihi; quid profuit detonuiſſe hunc nimbum Armorum, ſi te ſereno Cœlo fulmen afflauit? Quid poſuiſſe Ventorum iras; quid fœdam hanc hyemem, & ſanguine ſpumantem procellam pacatis tandem fluctibus ſubſidiſſe; ſi te regiæ puppis Palinurum petebat inſidioſa tranquillitas; ſi hæc omni tempeſtate crudelior ſubdoli pellacia Ponti tanto capiti minabatur? Adeòne parùm ad huius Troiæ campos alternis hinc inde ſtragibus, congeſtiſq; vndiq; de Cadaueribus ſæuientis fortunæ rabiem exſaturauimus, vt etiam non vulgari, ſed electo planè funere quærendi eſſent in Patriam reditus; animaq; litandum Romulea, nec tot laboribus Pax quæſita, tot redempta vulneribus, tot placata non pecudum, ſed Ducum, & militum hoſtijs, æquis nos tandem aſpicere oculis dignata eſt, niſi in vnius Morte communes omnium lacrymæ, publici gemitus, ſolennis luctus, & tuus imprimis, ANTONI Princeps Eminentiſsime, dolor, triſte nimis tributum, & pretium lōgè pretioſiſſimum penderetur? At nobis feralis eſt Pacis olea, noſtro licèt cruore nutrita, quam tanti Ducis ſubitæ decolorant Cupreſ-

ſus, ingrata quies, quam hæc lethifera ferrei ſoporis imago perturbat; fœdus inauſpicatum, quod tanti funeris horror inopinus infeſtat; inamœna hæc Veris rediuiui temperies, quam gelidi huius corporis rigor hyemalis exaſperat; ipſa è deterſis cælorum nimbis redditi Solis ſerenitas iniucunda, quam nullius pallentis vultus atrata nubes infuſcat. Denique propè eſt, vt ſi nos non ferente dolore, ipſi; quam tantopere optabamus, iraſcamur Paci, ipſi gratias habeamus bello, quod tantopere deteſtabamur, dum videmus pectus illud bello inſuperabile, telis imperuium, ac circumfrementibus miſſilium globorum fulminibus illibatum, cui pepercerat cæca quamtumlibet Martis rabies, cuius congreſſum Mors ipſa per medias quæſita cædes, declinauerat, tandem in ipſo impacatæ Pacis, veluti nouercali complexu, & fallaci oſculo generoſum ſpiritum poſuiſſe, vt qui viuens noſtræ militauerat Paci, in Pace moriens, noſtris bellum indiceret oculis, noſtris viſceribus cladem acerbiſſimam importaret.

Verùm Chriſtianus planè Heros, qui caput non galea, ſed conſilio tegebat, pectus non ære, nec adamante; ſed intrepida Manſuetudine muniebat, ipſam ſuo exemplo Mortem vel in ſuis Caſtris ità docuit manſueſcere, vt illum non auſa diro ferro contingere, nec vel guttam ſanguinis delibare, ſoluto iam bello, debitam ſyderibus animam pacifico exſoluere cœlo; ac veluti tempeſtate ſedata, victricem vndarum puppim leni flamine ad portum Immortalitatis impelleret. Non tamen ſi militari viro cruenta Mors defuit, defuit illi animus prodigus

ſui,

ſui, quo laudem per vulnera, ac vitam nominis pretio ſanguinis mercaretur, quem videlicet & Romanę dignitas Patriæ, & auitæ Nobilitas ſtirpis, & intrepidi pectoris Fortitudo, & bellica animi Virtus in Vrbe Martis progenita, adulta in Caſtris, attrita galeis, exercita præliis, laudata Principibus, ornata Victoriis, inſignita trophæis, periculorum omnium contemptorem, ad has Gloriæ nundinas incitabat. Stringite mecum, Auditores, quando ita viſum eſt extemporaneæ laudationis ſolatio acerbitatem tanti funeris deliniri: ſtringite vna, ſi licet, manu victrices, quas ſibi per tria luſtra gladio meſſuit palmas, non funereis arſuras flammis, ſed æternis hoc buſtum frondibus vmbraturas; triumphos legite nullo claudendos tumulo, ſed ſuprà tumulum perpetuis gloriæ characteribus incidendos.

Geminam Franciſcus Alterius laudem Fortitudinis, & Pietatis ad faſtigium Chriſtiani Militis in vno ſe, quã raro, tàm miro fœdere ſociauit. Hoc gemino cardine ſuprà omnem temporis rotam tanti æternitas nominis conuertetur. Hiſce alis ſublata ardua Viri virtus reliquit humum, & Aquilæ inſtar laqueo ſoluta mortalitatis, rogali è flamma ſubuolauit in Cœlum. Illius victricem frontem Fortitudo obumbrat laureis, Pietas coronat ſyderibus, & vtraq; poſt tranſlatam ad Superos animam, aſſiſtit & funeri, glorioſos Manes Sepulcri tenebris Inuidiæ morſibus erep̄tura. Et quid mirum, ſi Romanus Heros geminatis hiſce ſplendoribus coruſcauit, ea videlicet natus in Vrbe, quæ domitum armis Orbem nunc continet Religionis Imperio; olim bellicæ Schola

virtutis, nunc etiam Magiſtra Pietatis; nullis iam triumphis Capitolium aperiens, niſi quos de hoſtibus gladio partos Fides Superis, Deo Pietas conſecrauerit: illius inſuper ſanguinis riuus, illius ſtirpis clariſſimum germen, quæ à vetuſtis radicibus Romanam verè animam trahens, non vnum bello Scipionem, non vnum Paci Catonem protulit, & meliores Romulos armis, ſanctiores legibus Numas, ad ſui decus, & Patriæ fœcundo è ſemine ſuſcitauit; vbi nunc etiam fraterno ſibi vertice coniunctâ galeæ intermicat infula, & fraternis iterum ambitioſa pectoribus, Romana purpura ſupremo honori proximum lumen Melitenſi Cruci colludit, quam certiſſimæ ſignum victoriæ, domitis Boſphorus adorat fluctibus, & Luna Ottomannica fractis cornibus veneratur.

At Franciſcus auitum decus dedecori ſibi futurum ratus, niſi illud ſuis augeret virtutibus; & à fumoſis Maiorum Imaginibus inanem ſibi polliceitus lucem, niſi illis adderet mucrone, & plagis expreſſum viuum in ſe ipſo herois bellici ſimulacrum, militarem Indolem ſacraque armorum ſtudijs, & prima Militiæ rudimenta, ac grande Martis Tyrocinium ſub ingentibus Magiſtris, Sereniſſimis nempe Sabaudiæ Principibus, Auſpicijs felicibus orſus eſt. Decuit vt ſuũ Alumnum erudiret Italia, quem alijs poſteà Prouincijs traderet laudandum, vt ab Alpinis niuibus rigidum lac tenera adhuc ſugeret Fortitudo; vt in ipſis creſceret Auſoniæ finibus omnes olim fines, & limites exceſſura virtus, vt ab ipſo Pedemontis velut quodam initio ad altiſſimum Gloriæ iugum, & ſupremos Militiæ vertices egregium aſcenſum ardens animus

mus moliretur. Nec ſanè diu ſe illis licèt non anguſtis, ſed auguſtis montium carceribus coerceri paſſus eſt, ſed Alpes tranſgreſſus, & Eminentiſſimum Mazzarinum, tunc Pontificis ad Regem Galliæ Legatum ſecutus, ſummam in moribus facilitatem, in agendo Prudentiam, in loquendo maturitatem, mitem frontis ferociam, & pugnacis ingenij placidiſſimum fulgur, vſq; adeò Gallis Proceribus commendauit, vt illi certatim, ſi longiores in Gallijs moras illi ſydera decreuiſſent, & primos Aulæ deſtinarent honores, & ſuos Caſtra gradus præcipuos deſponderent.

Sed fatis ſibi conceſſum militem compellabat Germania, illius egregijs conatibus ingens pandebat theatrum, illius gloriæ palmarum ſiluam mucrone metendam oſtentabat. Pergit acceptus in Piccolominei Ducis excellentiſſimi contubernium, Teutonico gelu flammam pectoris nutriturus, & ſub cardine boreali, vbi Sol breuiore rota lucem contrahit, diem ſui nominis extenſurus. Hic quibus probata documentis, quibus exercita certaminibus, quibus illuſtrata trophæis, breui in omnium effulſerit oculis, ſtrenui militis iuncta Fidei Fortitudo, nouit Sereniſſimus Archidux Leopoldus, qui ſui cuſtodiam corporis huic Præfecto cenſuit commendandam, nunquam ſe tutiorem inter vel occulti, vel aperti Martis inſidias ratus, niſi cum illum Alterij fides adamantina tegeret, & omni validior clypeo ejuſdem vis inconcuſſæ ſui obiectu lateris propugnaret; quo poſteà in munere ipſius Regis Dani Regalem Sobolem Regumq; ſucceſſorem accepit. Nouit ipſe Piccolomineus, qui

grande illud Vualſtheniæ coniurationis arcanum vnius
Alterij auribus impunè credidit credi poſſe, vt ipſius
conſilio irritus euaporaret in auras tantæ cuniculus pro-
ditionis, quo ab ipſis Inferorum flammis fauillam iam
iam applicitam concepturo, non vnius Vrbis mœnia,
non vnius Arcis propugnacula, ſed vniuerſa cum Impe-
rio Germania, imò & ipſa cum Imperio Religio vel ſolo
imminentis ruinæ metu, præſagioq; trepidabat. Noue-
runt ipſi Suedici hoſtes, qui Alterij bis apud ipſos capti-
ui virtutibus adeò capti ſunt, vt cuius inuictam in vtra-
que fortuna admirabantur Romani verticis celſitudinē,
ſacrilegium duxerint vlla indecoræ captiuitatis nota de-
honeſtare, ſed blandè, & liberaliter habitum Noſtris,
quid dico Noſtris? immò verò ſuis permiſerint Patribus
inter pias ipſorum manus ab acceptis in bello vulneri-
bus refouendum, vt deinde primum ſibi, mox etiam ho-
neſtiſſimę lytro permutationis redditus ſuis, ſubſecu-
tam in illa memorabili pugna Regis Suedici necem,
vnus in primis Alterius Summo Pontifici nunciaret, an-
nua ob nuntium Penſione donatus, quo veluti pretio
Suedicæ mulctam redimeret captiuitatis.
At quo Mortem vultu medias inter acies laceſceret,
quo Vitæ contemptu calentibus ſe prælijs immiſceret,
viderunt, & etiam nunc ſtupent, & Poſteris omnibus
prædicabunt duo illa celeberrima ad Nortdlingam, &
Tonniſuillam pugnata prælia, vbi in illa ancipiti Martis
alea, inter plumbeam miſſilium procellam, inter fulmi-
na, & tonitrus Tormentorum, inter ferream tempeſta-
tem capiti vndiq; circumſonantem, vnus ſe ipſo arma-
tus

tus Alterinis, ità manu impiger, ità interritus animo, ità opportunus conſilio vniuerſam belli molem eſt moderatus, vt inclinatæ momentum Victoriæ Dux ipſe Piccolomineus magna ex parte ex Alterij conatibus pependiſſe publica voce teſtatus ſit. Præclara ſunt iſta; & fauſtorum, ibi inuictæ monumenta virtutis, memoriæ faſtis conſignanda. Nullum tamen arbitror glorioſius trophæum illo vulnere, cuius obducta quantumuis cicatrix viuit, & fulget extincto in corpore inextinctam Viri præſtantiſſimi famam ad ipſius Mortis inuidiam eloquenti ſilentio prædicatura. Merebat Cæſareis in Caſtris Alterius, & in belgica Palæſtra Romanum robur bellicis laboribus exercebat, cùm propè Cameracum indictum publico iure certamen eſt, quò triginta milites Cæſariani cum totidem Gallis collati, aduerſis concurrerent frontibus, & pro laude fortitudinis æquis inuicem armis, & paribus animis dimicarent. Agebatur Nationis gloria, nec pro vita, ſed pro Fama, quæ carior eſt vita, certabatur. Ecquis igitur deligeretur, qui lectum Agmen in hoſtes duceret, & ſuis Victoriam Auſpicijs firmaret? Tu ſolus, Iuuenis fortiſſime, inter commilitones innumeros idoneus viſus es; cuius fatali gladio dubia Martis alea crederetur, qui Latinum Nomen exteris olim gentibus formidatum, ab iniuria obliuionis aſſereres; qui Torquati exemplo detracta Gallis ex humeris ſpolia in Capitolium reportares. Et verò tam erecto animo impoſitam pugnæ molem ſuſtinuiſti, tanto impetu in Aduerſarios inuectus es, vt ipſo ſtatim initio plumbea licèt glande traiectus latera, ictu tamen vel neglecto, vel non perce-

pro, immemor animæ, ſed non immemor gloriꝫ, ſaucium corpus integro ſpiritu ſuſtentante, ſteteris inconcuſſus; donec Victoria & proprio, & hoſtili purpuratum cruore ſuis è Campo manibus extulit, & publicæ Laudis, infuſo veluti balſamo, lethiferum vulnus in honeſtiſſimam cicatricem obſignauit. Pręclaris hiſce facinoribus dignus; quem Thomas Sabaudiæ Princeps non ſemel inuiſeret decumbentem, quem Imperator Illuſtriſſimo Comitis titulo inſigniret, cui Rex Poloniæ regalis cubiculi honorariam Clauem deferret, cum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Bentiuolum Galerum purpureum Fratri Sereniſſimo deferentem comes additus ſequeretur; quem & Ipſi Magnę Britannię Reges & fama, & ore conſpicuum ſummis tùm laudibus, tùm etiam muneribus exornarent.

At Franciſci corona fuit tantæ Fortitudini, tanta in Deum Pietas fœderata, corona, quam non caducis frondibus plexam, non auro fulgentem, vel gemmis, ſed gentilitijs syderibus radiantem Cœlum ipſum ſui Ducis emeritæ iam dudum fronti deſtinabat. Vna ſuum militem armabat Pietas, vna Cœleſti Adamante inter perpetua Mortis diſcrimina protegebat. Fides illi pro galea, pro thorace Iuſtitia, pro clypeo ęquitas inconcuſſa, Religio ipſa pro cote fuit, ad quam hebetem exacueret gladium in ipſius Religionis hoſtes altis vulneribus dilbriadum. Hinc glorioſiora longè fuere trophæa Pietatis, quam Fortitudinis. Vicerit nimirum alios, ſe ipſum vicit laudabilius; Obſeſsæ Vrbis ſemiruta conſcenderit mænia, Arcem ſui Pectoris expugnauit; hoſtilia capita fulmineo meſſuerit ferro, ſcelus, & libidinem iugulauit

hone-

honeſtius; Mortem proterruerit armis, immortalitatem meritis, & virtutibus comparauit. Magni illius Ioſue æmulator egregiùs, qui altera manu acceptum à Deo diuinæ legis Volumen attollens, alterâ nudatum Enſem diſtringens, rarum militibus documentum prębęret, poſſe virtutem pariter, & arma coli, & ius, bonumq; ſub ijſdem cum Marte pellibus hyemare. Et licèt prodigio ſimile ſit, inter tympana, & tubas, & tonitrua tormentorũ legum voces exaudiri, & iuri eſſe locum, vbi ius totum in armis eſt; hoc tamen prodigium Alterij pietas domeſticum fecit, quæ militaris licentię rapidum quantumuis torrentem tàm validis vtrinq; repagulis tenuit, vt ſuo ſemper ſe alueo ferens, nunquam in vitiorum eluuiem ruptis aggeribus exundaret, & quod Dux ille pictum gerebat in ſtemmate, hic expreſſum oſtentaret in moribus, præferocem videlicet Equum, ſed intra circumductę lineę ſacros limites ſalientẽ, ac velut hinnitu clamantem: Subſiliam, non Tranſiliam. At quando pium iuxta, & fortem Heroem inclementia fatorum ad immaturum pręcipitabat interitum, vel vt congruentius loquar, onuſtam trophæis animam, ac debitam Cœlo ſua iam sydera repoſcebant, vbi poterat glorioſius vel diem claudere, vel ſupremum ſpiritum ponere, quam in ipſo Eccleſię ſinu, ſi non in acie pro ipſa ſtantem, ſi non ſuo ſanguine rubeſcentem, nondum certè excuſſo puluere, nondum ſudore deterſo, adhuc calentem è pręlio, & in ipſo Pacis, & Belli confinio peractas pugnas ore, & luminibus meditantem. Quid hîc vobis memorem, Bononienſes, quos numerauit Militiæ titulos, quæ veſtro in ſolo inuictæ re-

li-

liquit veſtigia Virtutis omnium altè impreſſa pectoribus, inſculpta cordibus, iactata linguis, decantata auribus, celebrata præconijs, deplorata gemitibus, vt recens ipſa memoria facinorum, ipſa triũphorum ſeges ex omnium eliciat oculis iuſtiſſimarum fontes vberrimos lacrymarum.

Quod igitur ſupereſt, Illuſtriſs. Alteri, accipe quæ tuis bellicis Manibus, non tàm externa funeris pompa, & ſplendido hoc ardentium luminum apparatu, quam vero fletu, & ſinceriſſimo gemitu iuſta perſoluimus, vt non maiori ſuum Pelopidam Theſſali, quam te tui Bononiẽſes amoris pariter, & doloris ambitioſa celebritate proſequantur. Te luget ereptum ſibi gratiſſima Ciuitas belli ſydus, militiæ columen, Arbitrum Pacis, ſuorũ mænium validiſſimum propugnaculum, cuius ſtabat conſilio, cuius clypeo tecta nullos ab hoſte metus, nulla à contiguo Marte pericula formidabat. Sperauit Pacis optatiſſimos fructus, non tamen quos tuæ mortis amarum virus inficeret; ſuſpirauit hunc diem, ſed non quem tui funeris nox inuida denigraret; hoc vno interim tàm acerbo in luctu delinita ſolatio, quod ingentis animę ſupremas reliquias ore legit, & quem gremio excepit exanimem, ipſius cineri ſuis in viſceribus æternum obſequij tumulum conſecrauit. Te lugent, tuo obitu magis, quam vllo belli tonitru, ac fulmine perculſi milites, quos blando dignabaris alloquio, ac ſuauiſſimis tuis moribus catenatos, indiuiduos tecum comites in quæcunq; diſcrimina rapiebas. Luget nobiliſſima Domus ſubtractam ſibi, cui incumbebat, columnam, truncatam in vno hoc germine, &

vi-

vitam Arboris,& Nepotum ſpem, & numeroſæ gloriam Poſteritatis. Luget Roma negatos, quos iam tibi reduci deſtinabat triumphos. Luget Capitoliū pro laureis, quas ſuo ſpopōderat vertici, funereis Cupreſſubus obumbratum. Luget Italia defunctum antiquæ vindicem glorię, & latinæ ſpeculum Fortitudinis. Luget Germania dira grandine occiſum illum Autumnum Victoriarum, quem tuæ Iuuentæ primæui flores, non dubijs, ni fata obſiſterent, Auſpicijs pollicebantur. Ipſa ob tuam mortem, quæ etiam gentilitio in ſtemmate radiant, manſueta recrudeſcere sydera, ipſa mutatis tempora vicibus, & motis tantiſper Elementa fœderibus, intempeſtiuum tuum fatum doluiſſe viſa ſunt. Ver ipſum, quod riſus eſt terræ, te moriente ſuperinduxit gelidiſſimi mętoris brumã, & prodigioſas euocauit è Cœlo niues, ipſa videlicet nona die Maij delapſas, quibus vel te Aſtrorum candidatũ oſtenderet, vel niuei cordis illibatum teſtaretur pudorẽ, vel ſi fas eſt dicere, congelatis ſtupore magis, quam dolore lacrymis, tuę Iuuentutis ver defloratum deploraret. Sed vna pro publicis omnium fletibus gemina te Purpura lacrymatur; Fraterna videlicet, & illa Eminentiſſimi Principis tui, quam tunica Martis adamantina ſolidiorem, nullis vnquam violatam ictibus, ſed vel in medio furentis pugnæ tumultu, gladijs, haſtis, globis, miſſilibus adoratam, tu vnus, Alteri, lethali moriens cuſpide, ac acerbiſſimo doloris vulnere ſauciaſti. Non totus, Franciſce, moreris, magnaq; pars tui deuitat Libitinam, illa nimirum pars animæ, quam Amoris glutino copulatam, in illo Eminentiſſimo pectore ſupra omnem Mortis pro-

cel-

cellam, & flamina Inuidiæ, velut in Olympi vertice ſuperſtitem ſtatuiſti. Fœlix, qui, tua dum viueres, fide, & obſequio meritus es, vt in tanti Principis corde animatum moriens ſepulcrum, omni perennius Mauſolęo, tuo nomini inuenires. Fœlix, cuius amato cineri Purpura illa tuo palleſcens in funęre, ac grandibus gemmata Vnionibus lacrymarum, ſplendidiſſimum inijceret tegumentum. Fœlix, in cuius militari galea tanto capite iam defuncta Barberinæ Apes pro fauo mellis, quod olim legimus accidiſſe, nectareos ſui ſupercilij rores illacrymabũt.

Poſtremò & noſtra Societas, quã tu ferebas in oculis, è cuius vberibus lac Pietatis, & Eruditionis exſuxeras, in cuius Romano Templo Paternum, vt aiunt, tumulum natale cubiculũ habuiſti, cui deniq; viuus animam, defunctus cineres cõmendaſti, illa meo ore hoc qualecunq; deproperatę laudationis tributum, acerbum exhibet amoris pignus, argumentum doloris, & quod vnum reliquum eſt, tuis pijſſimis Manibus Pacem, & Gloriam conſonis omnium precibus, & votis concordibus deprecatur.

LAVS DEO.